

*Joanni V. Gloriosissimo Lusitaniæ Regi inter
Arcades Accl. Areti Mellèo cum
a gravissimo Morbo convaluisset.*

EPIGRAMMA.

A Rentes Lauros , Pindique per Avia vidi
Pieridas passis crinibus ire Deas ,
Fugerat abjectis Phœbus plectroque lyraque :
Et steterat sacri territa Fontis aqua .
Sic Mæcenatis vicino in funere quondam
Castalias dicunt obriguisse Deas .
Cum subito , laurique novo consurgere foetu ,
Et strepere arguto largior unda sono .
Aonides festis demulcent cantibus auras ,
Antra procul reboant , Arcadicumque Nemus .
Scilicet ipse Tagi ripis regressus ab aureis
Ingeminat resona victor Apollo tuba ;
Vivit Io , Lachesi pulsa , mihi vivit Aretes !
Stat Tibi , Pinde , tuum stat decus , & columen .

*In Planetarum dispositione Terra inter
Martem , & Venerem .*

EPIGRAMMA.

A Spicis , ut rapidos Amor excitet , Iraque , motus ,
Partiti humani pectoris imperium ?
Hic gemit ah duræ fraudatus amore puellæ ;
Ille hostem insequitur torvus , & arma quatit .
Miraris ? Cerne auricomum quonam ordine solem
Disposita in gyrum sydera circummeant .
Mercurius propior Phœbo : Venus axe recedit
Altior : hinc Veneri proxima Terra subit .

Tel.